Lane Medical Library

DE

DETRACTIONUM SANGUINIS VI ET USU IN FEBRIBUS ET INFLAMMATIONIBUS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. OCTOBRIS A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ARNOLDUS OSTHUES

GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

FR. HESSING, med. et chir. Dr.
FR. KOCK, med. et chir. Dr.
AD. ROBERG, med. et chir. Dr.

BEROLINI,

TYPIS NIETACKIANIS.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA40154006_0075

VIRO

PLURIMUM REVERENDO, ORNATISSIMO,
HUMANISSIMO

H. ZURHORST,

VERBI DIVINI MINISTRO,

AVUNCULO DILECTISSIMO

ET

MATRI

OPTIMAE, CARISSIMAE,

AD CINERES USQUE COLENDAE

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Detractiones sanguinis quam vim atque usum habeant in febribus et inflammationibus, ejus rei recta cognitio ad praxin exercendam valet plurimum, quum saepissime inde tota nostra agendi ratio in summo morbi discrimine, ubi vita quasi in lanceola posita est, dependeat.

Quocirca hanc materiam aliquid diffusius exponere mihi in animo est; id ipsum vero quam sit difficile, neminem latet.

Quamobrem inevitabiles defectus hujus opusculi ignoscat quisquis non immemor veniae, quam sibimet ipsi tali in casu petiturus fuisset.

Cap. I.

De detractionum sanguinis vi in febribus et inflammationibus.

§. 1.

Detractiones sanguinis in febribus et inflammationibus inter remedia validissima referendas esse, easque in illis valere peculiaribus virtutibus, a nullo alio medicamine impetrandis, observatores fugere non potuit adeoque est tritum, ut nemo unquam negaverit.

Ad has vires tamen accuratius exponendas necesse est, rationes disjungamus, quibus detractiones sanguinis instituantur, quippe quum effectus propter sanguinis eliciti variam quantitatem variamque corporis reactionem inde pendeat.

Ratio, qua sanguis emittitur, triplex est, aut venaesectione, aut hirudinibus, aut factis incisiunculis ope scalpelli et cucurbitarum.

§. 2.

De vi venaesectionis.

Venaesectio maximum est antiphlogisticum; exorbitantem cordis atque vasorum actionem et sanguinis ni-

miam energiam atque plasticitatem optime restringere atque imminuere valet.

Venaesectio stimulum cordis arteriarumque divellit, sanguinis copiam et vasorum auctam reactionem minuit; uno verbo conditionem hypersthenicam systematis sanguiferi tollit, sive vasorum sive sanguinis affectio primaria.

Testantur enim illud tam decrementum pulsuum et animi deliquia, ex intermisso cordis motu nata, sanguine abunde detracto, quam vehementior arteriarum pulsatio et cordis palpitatus, illo nimis abundante.

Venaesectio stimulum vitae maxime necessarium et nutrimentum irritabilitatis validissimumque actionis incitamentum vasorum demit; itaque expansionem et agitationem vasorum et pressionem tensionemque fibrarum minuit.

Venaesectione sanguis ipse, in febribus et inflammationibus nimia vitalitate praeditus, cruoris atque fibrinae abundantia, (in crusta pleuritica potissimum perspicua ac magna ad plasticas exsudationes proclivitate,) privatur.

Per venaesectionem enim tota sanguinis copia imminuitur, et quum partes ejus serosae et aquosae prius et facilius, quam cruor, massa fibrosa et albuminosa assimilatione restituantur, praesertim regimine adhibito antiphlogistico, sanguis plasticitate privatur. Hac ratione

vero necessarium est, ut repetitis et largis venaesectionibus quantitates materiarum coagulabilium, scilicet principii fibrosi, cruoris et albuminis in sanguine minuatur et fluidorum copia augeatur, igiturque mixtio sanguinis ipsa mutetur.

Propter auctam vero exinde resorptionem factae ex inflammatione exsudationes tolluntur. Accedit, quod ademto sanguine, corporis atque virium pabulo, totus organismus debilitatur, cujus rei documenta tristissima hydropes sunt atque cachexiae, venaesectionibus temere adhibitis, supervenientes; qua quidem universali debilitate certe etiam systema sanguiferum participatur.

Denique sensibilitatis quoque infractio, venaesectionem semper fere excipiens, in febribus et inflammationibus curandis maximi momenti est; quamvis enim hi morbi maxime in systemate sanguifero suam habeant sedem, nihilo tamen secius systema nervosum statu illo morboso participatur; organismi etenim partes singulae intime inter se cohaerent et invicem sibi respondent. — Docet physiologia, sanguini quidem inesse propriam vitam, sed eam partim intime cohaerentem cum nervorum systemate, partim mutua inter semet ipsam et substantiam organicam actione gaudentem. Ex omnibus, quae de venaesectionis efficacitate ad nostrum finem dixi, id optimo jure statui potest, venaesectionem prae ceteris remediis

partim debilitando partim immutando valere, systematis sanguiferi hypersthenian, i. e. et actionum et virium nimietatem illius restringere atque imminuere.

§. 3.

De detractionis sanguinis per hirudines factae effectu.

Aegrotus ab hirudine vulneratus statim dolore pungente, non raro sat vehemente afficitur, qui saepe tam diu perdurat, quam hirudo sugit. Copia sanguinis, quam una earum bibit, varia est pro ejus magnitudine. Experimentis crebris et accuratis medici invenerunt, hirudinem quatuor pollicum longitudine et triginta usque ad quadraginta granorum pondere, omnino sanguine repletam, pondere drachmarum duarum et dimidiae auctam esse solere. Sed, ut satis notum est, etiam hirudine delapsa vulnera sanguinem adhuc mittunt et quidem plerumque tres usque ad quatuor drachmas. Quae sanguinis copia pro loci atque aegrotorum et cutis et morbi varietate admodum variat. Tempore quo sanguis profluit praeterlapso, vulnera inflammantur, et aegroti dolores magis ardentes et prurientes conqueri solent. Ex hisce jam allatis elucet efficaciam primariam hirudinum esse duplicem, nempe eas locum, cui applicantur, irritare, deinde vero, quod majoris est momenti, vasa ejus parva et minima

sanguine privare. Inde patet satis largam hirudinum quantitatem simile quid ac venaesectionem efficere posse. Sed re vera simili tantum nec eodem modo agunt; nam cum per venaesectionem repente magna sanguinis copia effluat, ita ut aeque celeriter ne serum ejus quidem per resorptionem restitui possit, vacuitas quaedam et collapsus post eam intret, necesse est.

Hirudinibus vero applicatis tam pedetentim profluit sanguis, ut facile, quantum detrahitur, tantum simul e corpore in vasa reducatur. Remedium igitur hoc non solum propterea inter gravissima est referendum, quia persaepe ex. c. in infantibus, hydrope universali ctt. in venaesectionis locum succedere debet, sed etiam ideo, uti apparet, quod peculiaribus valet virtutibus, a venaesectione non impetrandis. Quarum longe praestantissima est ea, ut locali quadam irritatione sanguinem alliciat et a parte affecta derivet: porro etiam hanc hirudines praebent opportunitatem, quae in inflammationibus saepissime maximi est aestimanda, ut proxime a parte affecta possint adhiberi, eoque directe magis in illam suam vim exerceant.

Caveas autem, ne venaesectionem per hirudines explere velis; sunt enim utique casus, in quibus venaesectio nullo modo evacuationibus sanguinis per hirudines factis compensari potest.

Si inflammatio quasi per universalem totius corporis statum inflammatorium, per febrem synochalem adaucta, vel cum ea conjuncta est, venaesectio larga instituenda, et tum demum ad hirudines confugiendum est. In his quidem casibus venaesectione repente atque celere major sanguinis copia detrahitur, itaque subitanea efficitur circuitus sanguinis interpellatio actionumque cordis perturbatio atque totus morbus uno quasi ictu perfringitur.

Venaesectio instituenda est, quando partes nobiliores affectae sunt, in corporis cavitatibus alte absconditae.

Idem fiat necesse est, si organon vasis admodum largis praeditum, aut magna corporis pars ab inflammatione correpta est.

§. 4.

De vi detractionis sanguinis per cucurbitas cruentas et scarificationes factae.

Vis cucurbitarum cruentarum vix ab ea hirudinum differt, sed magis etiam irritant et majorem sanguinis copiam detrahere solent. Sunt quidem qui dicant, hirudines esse remedia vitalia, quibus nullo modo instrumenta mechanica suffici queant, virium harum vitalium effectum nempe esse peculiarem et singularem.

Nihilo tamen minus cucurbitae cruentae praeferendae

sunt, ubi contra inflammationem partium internarum, actione cutis perturbata ortam, agere velis, quia ipsae cutem magis irritant et actionem ejus revocant.

Praeterea hoc loco commemorandae sunt scarificationes, quae quoque sanguinis jacturam et partium irritationem efficiunt. sed utrumque minorem in gradum quam remedia jamjam allata; attamen praestant illis omnibus nonnunquam, quod simul partium inflammatarum tensionem minuunt et tollunt; scarificationes igitur tum in usum voca, quando partem inflammatam simul tensione liberare et majorem ejus irritationem evitare vis.

Cap. II.

De detractionum sanguinis usu in febribus et inflammationibus.

§. 5.

Effectum detractionum sanguinis fundamentalem eum supra statui, ut valeant systematis sanguiferi hypersthenian sive in vasorum et cordis exorbitante energia, sive in sanguinis abundante plasticitate posita sit, restringere atque imminuere. Status vero ille morbosus frequentis-

sime, si universalis est, sub febris forma, si localis, inflammationis specie apparet. Multi medici febrem et inflammationem eundem esse processum morbosum contendunt, neque `alia re differre, quam quod inflammatio localis, febris universalis sit. Quamquam hoc omnino verum esse concedere quidem non possum, sane tamen magna utriusque morbi similitudo agnosci debet et hanc affinitatem inflammationem inter febremque observatores omnium temporum illustrissimi probaverunt. Quomodo tamen uterque morbus conspiret, quomodo differat, hoc loco exponi non potest; id quidem optimo jure statuere licet, detractiones sanguinis sapienter et provide institutas in curandis et febribus et inflammationibus non solum locum aliquem, sed adeo praestantissimum obtinere; nam extra omnem dubitationem positum est, in febribus et inflammationibus curam secundum virium systematis sanguiferi statum potissimum instituendam esse. Systematis sanguiferi et actionum et virium vehementia sola saepissime in his morbis vitae totius organismi, seu partis violatae periculum minatur, et tum princeps finis est, vehementiam illam systematis sanguiferi discutere, ideoque detractiones sanguinis maxime conveniunt. Sanguinis detractionibus iustitutis anomala vasorum reactio, vehementissima oscillatio, humorum, praecipue vero sanguinis turgor et turbulentissimus motus temperantur; spasmi dolo-

res ceteraque symptomata e systemate nervorum originem ducentia auferuntur, calor nimis auctus temperatur: uno verbo febris levatur et inflammatio partis decrescit.

Minime autem contendo, febribus et inflammationibus semper convenire detractiones sanguinis: namque nullus profecto invenitur morbus, qui semper requirat sanguinis detractiones; simul vero pauci admodum reperiuntur, qui nunquam illis indigeant.

§. 6.

De detractionum sanguinis usu in febribus.

Ab antiquissimis inde temporibus sententiae de febris natura et indole diversissimae, innumeraeque a scriptoribus propositae sunt definitiones. Omnes autem medici a magni Hippocratis aevo usque ad hos dies notione febris (febris a ferveo, ex aestu, symptomate maxime conspicuo) omnino eundem concipiebant statum morbosum et ferme omnes usque ad nostram aetatam in eo consentiebant, febrem peculiarem quendam morbum, nec aliorum morborum symptoma esse. Sed ineunte circiter hoc saeculo exstiterunt viri contrariam defendentes sententiam, et multi medici eos secuti sunt, ita ut ad hunc usque diem multum certetur, num febris peculiaris quidam morbus sit, an nil nisi symptoma localis cujusdam affectionis. Dijudicatio hujus quaestionis imprimis

maximi momenti est, si therapiam febrium respicimus; quum quidem haud parva sit differentia, utrum febrem morbi formam essentialem et hanc gravissimam habeamus, itaque eam primum ac principale therapiae objectum faciamus, an eandem ut aliorum morborum symptoma aut plane negligamus, aut ad summum sic respiciamus, ut quodvis symptoma gravius ac periculosum.

Ulteriores observationes atque experientiae hanc litem forsan component. Quod autem ad therapiam febrium attinet, certum est, curae effectum persaepe infaustissimum existere, si affectio quaedam localis sola curetur et febris ut symptoma negligatur; immo saepissime febrem prae ceteris curae objectum esse oportere.

Licet febris ex affectione quadam locali semper suam ducat originem, tamen de ipsius affectionis natura persaepe parum adhuc certi habemus et tota nostra curatio nihilosecius in eo versatur, ut vires vitales actionesque organismi ita dirigamus, ut nec fiant vehementiores nec remissiores.

Quamobrem in febribus curandis virium potissimum vitalium status spectandus est; quando febris mitis decurrit, detractionibus sanguinis prorsus non indiget; quin immo febris quaedam ad normalem multorum morborum decursum necessaria est. Ita exanthemata acuta semper

febrem habent comitem, quae igitur, nisi alia urgent symptomata, nullum artis poscit adjumentum.

Si autem febris supra modum exaestuat aliaque, quibus gravioris cujusdam annuntiatur morbi inflammatorii accessio, adsunt indicia, tum a recto et provido detractionum sanguinis usu haud raro felix curae successus maxime dependet et vita quasi in lanceola vertitur.

Venaesectio recto tempore et satis larga instituta totum morbum uno quasi ictu perfringit.

Sed accuratius nunc symptomata explananda sunt, ex quibus in febribus et inflammationibus necessitas detractionum sanguinis adhibendarum cognoscatur.

Pulsus et sanguinis indoles prae ceteris de detractionum sanguinis necessitate decernunt; nam ex pulsus et sanguinis ipsius indole justas de virium systematis sanguiferi statu facere licet conjecturas.

Pulsus magnus, plenus, frequens et, quod gravissimum, durus ac tensus indicat deplendum sanguinem, nisi cetera symptomata obstant; ab altera parte tamen pulsus debilis, parvus, non valde frequens, contractus non semper vetat detractiones sanguinis. Hic quidem pulsus creberrime non a systematis sanguiferi energia imminuta, sed a circuitu sanguinis impedito deducendus est. Exemplum tibi sint inflammatio pulmonum et cordis. Pulmones et cor, quae sanguini conficiendo et promovendo

inserviunt, inflammatione affecta functionibus suis praeesse non amplius valent. Sanguinis in organa haec inflammatione affecta vehementius irruit, ab iis non commode recipitur, ac minus rite praeparatus, neque pleno impetu in vasa effluere ibique vim suam exercere potest; simulac autem venaesectione sanguinis illa organa gravantis abundantia comminuitur, circuitus sanguinis normalis evadit, organa illa functionibus suis exsequendis iterum fiunt aptiora, et nunc demum sanguis arteriaeque veram suam naturam develant pulsuum frequentia, plenitudine ac magnitudine.

Quod attinet ad sanguinis ipsius indolem, hoc statui potest, sanguinem e vena missum, cruore abundantem (quae quidem abundantia perspicitur in crusta pleuritica), facile se coagulantem et colore nimis rubro, indicare detractiones sanguinis, nisi alia contradicant; ex omnibus enim adaucta sanguinis plasticitas cognoscitur, quae optime, ut supra vidimus, detractionibus sanguinis minuitur.

Nunquam autem praeceptum illud, licet simplicissimum sit, nobis negligendum est: tali in casu non in unum quoddam symptoma, sed in phaenomenorum complexum intueamur.

Symptomata autem cetera, licet non semper sint consociata, ex quibus in febribus et inflammationibus ne-

cessitas detractionum sanguinis adhibendarum cognoscatur, haecce nobis occurrunt.

Cutis ardens atque turgida, vebemens sitis, urina flammea, rubida facies, oculi scintillantes, totius denique corporis prostratio sine sensorii nimia depressione.

Quod spectat ad morbi stadium, in quo depletiones sanguinis administrandae sint, opinio, eas solummodo in principio febrium et inflammationum indicari, falsa est.

In morborum initio, iucremento, fastigio quidem praestant sanguinis jacturae, tamen eaedem, morbis quamvis longius progressis, frequentissime indicatae sunt. Indicatio non ad dierum numerum, sed ad morbi naturam unice est dirigenda.

Quod pertinet denique ad quaestionem, quoties in his morbis detractiones sanguinis repetendae sint, notandum est, in ejusmodi rebus praecepta singularia praescribi non posse, sed secundum aegrotorum constitutionem, aetatem, sexum, vires, potissimum autem constitutionem stationariam, febris et inflammationis naturam catarrhalem, rheumaticam etc. ac symptomatum complexum hoc definiri.

§. 7.

De detractionum sanguinis usu in inflammationibus.

Depletionum sanguinis in inflammationibus salubritas, pariter ac in febribus, ex imminuta systematis sanguiferi energia est deducenda; ex recto earum usu in inflammationibus promptum ac subitaneum saepissime auxilium nascitur. Cui unquam contigit aegrotum observare, vehementi pneumonia laborantem et subitaneum venaesectione instituta auxilium, certe hoc mecum affirmabit.

Priusquam autem istas in usum vocamus, necesse est, maxime provide et caute indicationes pensitemus, quippe quum minime in inflammationibus semper necessitas earum adhibendarum appareat.

Quaestio quidem, num illae administrandae sint nec ne', pro varietate inflammationis, sive ad sedem, sive ad indolem, sive ad gradum dijudicanda est.

Quod attinet sedem inflammationes sic dictae internae medico observanti et curanti majores secum ducunt difficultates, et medici magnam indivisamque postulent animi intentionem, quominus detractionibus sanguinis vel neglectis vel injuste adhibitis, aeger subito ad inferos traducatur.

Omnes inflammationes membranarum serosarum,

pleurae, pericardii, peritonaei, arachnoideae depletionum sanguinis usum severissimum exigunt: nam propter magnam ad exsudationes dispositionem nobilioribus organis, quae circumdant, maximum periculum minitantur. Inflammationes organorum pectoris, praesertim cordis et pulmonum promptissimas et fortissimas requirunt detractiones sanguinis. Organa illa functionibus vitalibus i. e. functionibus ad vitam sustinendam prorsus necessariis, praesunt. Organa autem eadem ab inflammatione correpta functiones suas longius obire non valent et nisi justo tempore a mole gravantis sanguinis per venaesectionem liberantur, simul cum vita exhausta pereunt.

Ex his apparet singularis et peculiaris venaesectionis virtus, a nullo alio medicamine impetranda, in pneumonia et inflammationibus cordis.

Nec minus inflammationes ceterarum partium nobiliorum in corporis cavitatibus alte absconditarum severissimum depletionum sanguinis usum desiderant. Idem fit in inflammationibus organorum, quae multis vasis arterialibus et nervis, magno vitalitatis gradu praedita sunt, ita ut inflammatio facile nimis crescat, et in suppurationem et gangraenam terminetur; si vero organon inflammatum parva admodum vitalitate gaudet, in eoque inflammationes facillime formam chronicam et lentam induunt, et in exitus finiuntur, qui non actionem vitae nimis ad-

auctam, sed potius nimis languidam et torpidam indicant, tum cave, ne per sanguinis detractionem organon nimis debilites, resolutionem inflammationis prohibeas, eam longius protrahas, indurationem ac similia adducas.

Si igitur organon principale, ex c. pulmones, cor, cerebrum ejusque integumenta cett., vel partes aliis de causis magni momenti, ut retina, iris, al. inflammatione laborant, neque venaesectionibus neque hirudinibus parcas; forti detractionum sanguinis totiusque apparatus antiphlogistici usu interdum contingit, nascentem quasi inflammationem supprimere; vel ejus jam progressae decursum recidere. In hujusmodi casibus medico licet deplendo sanguine aegroti vitam quasi ad minimum gradum reducere, ut aut eam ipsam aut partem nobilem conservet. — Inflammationes externae plerumque tum demum detractiones sanguinis postulant, quando vehementiores fiunt, omnesque actiones, praesertim systematis sanguiferi tantopere excitant, ut vitae seu totius organismi seu partis violatae immineat periculum: inflammatio enim quaedam non solum non nocet, sed etiam ad noxam restituendam, veluti post chirurgicas operationes institutas, omnino necessaria est, et tali in casu optimum remedium, quod vis medicatrix naturae, omnium longe felicissimus medicus, ad noxam resarciendam in usum vocavit, et tum demum, ubi ex ipsis talibus naturae intentionibus, ubi

nempe enormes fiant, periculum minitatur, inflammatio detractionibus sanguinis persaepe compescenda est. Haud raro etiam in inflammatione sat vehementi sanguinem deplere non licet, praesertim cum hac ipsa ad sananda quaedam mala, ad conjungenda ossa fracta, ad bonum operationis hydroceles radicalis successum impetrandum, vel alium ad finem indigeamus. — Tum permultum interest in detractionibus sanguinis adhibendis, cujus indolis sit inflammatio, quam medici non providi saepe negligunt, ita ut in inflammationibus catarrhalibus, rheumaticis, syphiliticis aeque ac in traumaticis simplicibusque sanguinem mittant. — Omnibus inflammationibus, quae ex causa traumatica sic dicta oriuntur, secundum vehementiae gradum et sedem suam sive in capite, sive in oculo, sive in extremitatibus, depletiones sanguinis conveniunt.

Inflammationes membranarum serosarum, uti vidimus, severum detractionum sanguinis usum desiderant; non minus inflammationes fibrosarum membranarum, ut durae matris.

Inflammationes tunicarum mucosarum autem multo mitiorem depletionum sanguinis usum poscunt, nam detractionibus sanguinis largioribus institutis, facile asthenicam induunt indolem.

Inflammationes catarrhales prolixiores sanguinis missiones rarissime requirunt.

Inflammationes, quae non ex plasticitate adaucta, sed dyscrasia quadam et debilitate cum totius corporis, tum partis affectae procreantur et protahuntur, detractione sanguinis non removentur, sed creberrime pertinaciores fiunt et augentur. Exemplum tibi sit ophthalmia scrophulosa, quo magis quidem aegroto sanguinem et materias nutrientes detraxeris, eo pertinacior erit inflammatio: tales inflammationes tantum in gradatione sua modicum atque cautum depletionum sanguinis postulant usum, maxime scrophulosae et scorbuticae; syphiliticae et arthriticae et in exacerbationum vehementia non semel depletiones sanguinis requirunt, nam hae inflammationes quasi symptomata nec non crises morborum sunt, a quibus nomen ducunt, neque sanguinis plasticitate, sed dyscrasia quadam innituntur, nec debilitando, sed morbis illis eorumque causis debellandis, amovendae sunt. — Quod attinet ad gradum vix commemorare opus est, minorem detractiones sanguinis contraindicare, majorem eas plerumque poscere.

Quo graviores autem inflammationes, eo validiores sint depletiones sanguinis; nec ab illis plane deterreamur, si jam successus quidam prodierint.

Reliquum est, ut quaedam proferam de contraindicationibus sanguinis mittendi. Unum solummodo est, quod vere detractiones sanguinis contraindicat: ea videlicet aëris constitutio, quae omnibus morbis talem impri-

mit indolem, ut facile in malum abeant exitum, si sanguinem depleveris.

Quod spectat ad debilitatem in aegrotis obviam, — ad transitum morborum sthenicorum in nervosam indolem — ad complicationes — negandum quidem non est, hujusmodi in casibus medicum non raro inter Scyllam et Charybdim versari, scilicet si detractiones sanguinis et alia quaedam veluti e diametro illis opposita methodus indicatae sunt: tum vero derivante et admodum modicis sanguinis missionibus inflammationi et febri obviam eundum est; namque haec est ratio agendi experientia omnium maxime probata, saepe tamen eventu infausto stipata.

In complicationibus autem ingenii est sagacis provide perpendere, quomodo oppositae indicationes possint conjungi, aut, quid sit majoris discriminis atque promptiori indigeat auxilio.

LITERATURA.

K. H. Baumgärtner, Handbuch der speziellen Krankheits- und Heilungslehre mit besonderer Rücksicht auf die Physiologie bearbeitet.

C. Canstatt, spez. Pathol. und Therap.

Ph. C. Hartmann, allgemeine Pathologie.

J. P. Frank de cur. hom. morb.

Ch. W. Hufeland, Enchiridion medicum.

Schönlein's Vorlesungen über Pathol. und Therapie.

Ch. J. B. Williams, Vorles. über die Krankheiten der Brust, deutsch bearb. unter Redact. des Dr. J. F. Behrend. Berlin 1841.

Conradi, allgemeine Pathologie und Therapie. Marburg.

VITA.

Natus sum Arnoldus Osthues die V. mensis Augusti anno h. s. XVIII. Beckumi, Guestphaliae oppido, patre Arnoldo, Med. et Chir. Doctore, Med. pract. nec non physico circuli, matre Anna e gente Coesfeld, quos parentes morte mihi abreptos lugeo praematura, Catharinam e gente Zurhorst, conjugem secundam defuncti patris, matrem alteram adhuc superstitem pio gratoque animo venerans. Fidem confiteor catholicam

Primis literarum elementis imbutus, Gymnasium Monasteriense, quod tum Directore Ill. Nadermann florebat, adii, quo absoluto examineque pro maturitate rite superato, vere

a. h. s. XXXIX. ad almam literarum universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli, ibique a Rectore magnifico Ill. Mayer in civium academicorum numerum receptus, nomen apud Decanum facultatis medicae spectatissimum Ill. Wutzer professus sum. Bonnae hisce interfui scholis:

De encyclopaedia et methodologia medica Ill. Naumann, de logice et psychologia Ill. van Calker, de botanice Ill. Treviranus, de zoologia Ill. Goldfuss, de mineralogia Ill. Noeggerath, de physice experimentali Ill. Pluecker, de chemia experimentali Ill. G. Bischof, de pathologia atque therapia generali, de materia diaetetica et de materia medica Ill. Harless, de morbis syphiliticis Ill. Albers.

Per anni unius et dimidii spatium Bonnae versatus, universitatem Herbipolitanam petii, ubi a Rectore magnifico Ill. Lassaulx in civium academicorum numerum receptus, et nomen Decano facultatis medicae spectatis-

simo Ill. Textor professus, per unum annum literis medicis incubui. Nempe artem cadavera rite secandi docuerunt me Ill. Muenz et Exp. de Siebold, chirurgiam, doctrinam operationum et artem fascias imponendi Ill. Textor, pathologiam et therapiam specialem Ill. Marcus. Exercitatioees insuper clinicas frequentavi medicas Ill. Marcus, chirurgicas Ill. Textor, obstetricias Ill. d'Outrepont, qui idem dux mihi fuit in exercitationibus in phantomate instituendis.

Autumno a. h. s. XLI almam Musarum sedem Berolinensem petii, ubi a Rectore Dieterici civium academicorum numero adscriptus, nomenque apud Decanum facultatis medicae spectatissimum Ill. Juengken professus sum.

Berolini munere chirurgi militaris voluntarii, ut rei publicae legibus satisfaciam, per unum annum functus sum et hasce scholas adii:

De anatomia organorum sensuum et de anatomia pathologica Ill. J. Mueller, de

syndesmologia et anatomia organorum sensuum Ill. Schlemm, qui iidem viri in arte cadavera rite secandi duces mihi fuerunt; de historia medicinae Ill. Hecker; de medicina forensi et de politia medica Ill. Wagner.

Exercitationes clinicas frequentavi tam medicas quam chirurgicas et ophthalmiatricas et obstetricias Ill. Juengken, Cel. Wolff, Ill. Schoenlein, Ill. Busch, Cel. Barez.

Quibus viris omnibus, de me optime meritis, gratias quam maximas ago et in sempiternum habebo.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico nec non examine rigoroso rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES.

1. In pneumonia post sanguinis detractiones nitri usus est praestantissimus.
2. Origo morborum infantibus peculiarium ex evolutionibus corporis naturalibus repetenda est.
3. Delirium tremens optime sanatur opio; summum autem capit detrimentum ex medicamentis antiphlogisticis.
4. In curandis exanthematibus virium potissimum vitalium status spectandus est.
5. De typhi abdominalis natura parum adhuc certi habemus.
6. Indicationem detractionum sanguinis minime semper ex pulsus indole repetere licet.
7. Diaeta tenuis, tranquillitas animi et modicus labor in morbis chronicis saepissime plurimum valent.